



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 64. Vtrum Deus ex pacto, & promissione possit se ipsum obligare creaturis non solum obligatione fidelitatis, sed etiam obligatione iustitiæ strictæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

sione ad primum, quod Deus etiam dum damnatos punit in inferno, exercet misericordiam, siquidem illos punit citrà condignum. Videri possunt August. lib. 21. de Ciuit. cap. 24. & Ruiz de Voluntate Dei disput. vltima, sect. vltima.

9. Ad 1. distinguo maiorem: virtutes ex suo conceptu vniuersali abstrahente à diuinis, & creatis, sunt habitus, nego: virtutes creatæ, concedo maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Virtus voluntatis ex suo conceptu vniuersali est, per quam voluntas bene se habet ad amandam aliquam honestatem, & ad faciendas actiones conformes tali honestati; sed diuina voluntas per se ipsam, optimè se habet ad amandas omnes honestates, & ad exercendas omnes actiones honestas, ac Deum decentes; ergo diuina voluntas est omnis sua virtus. Voluntas creatæ conuerso, quia per se ipsam non optimè se habet ad amandas omnes honestates, indiget virtutibus distinctis, quæ sunt qualitates, & habitus superadditi.

10. Ad 2. distinguo maiorem: virtutes morales strictè sumptæ habent pro obiecto formali honestatem creatam, concedo: virtutes morales latius sumptæ, nego: concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequentiam dictam est in Deo non dari virtutes morales in eo rigore, in quo datur charitas, quæ est virtus theologica, sed solum dari minus strictè, in quantum sunt per quas Deus bene se habet ad amandas honestates creatas propter obiectum formale, in quo continentur adæquatè, & ad exercendas actiones conformes tali honestati.

QVÆSTIO LXIV.

Virum Deus ex pacto, & promissione possit se ipsum obligare creaturis non solum obligatione fidelitatis, sed etiam obligatione iustitiæ strictæ?

1. Videtur Deus non posse se obligare creaturis vlla obligatione morali, ne fidelitatis quidem: primò quia omnis obligatio moralis supponit, vel includit potentiam physicam non faciendi id, ad quod faciendum quis obligatur moraliter: sed Deus non habet potentiam physicam non obseruandi promissa; ergo per promissionem non obligatur moraliter ad obseruanda promissa.

2. Secundò plures Patres negant Deo omnem obligationem, & omne debitum; ergo.

3. Tertio omnis obligatio moralis restringit libertatem; sed Deo repugnat omnis restrictio libertatis; ergo &c.

4. Quarto omnis obligatio moralis minuit dominium: sed Deo repugnat imminutio dominij; ergo &c. Probatur sequela: perfectum enim dominium est potestas disponendi de re

sua ad omnem usum; sed posita obligatione morali ad non disponendum de re ad aliquem usum, dominus rei non potest de illa re disponere ad illum usum; ergo.

5. Quintò videtur, quod licet Deus possit obligari obligatione fidelitatis, tamen non possit obligari obligatione iustitiæ. Per obligationem enim fidelitatis Deus obligatur solum sibi ipsi ad faciendum id, quod ipsum decet: per obligationem iustitiæ obligatur alteri; sed licet non repugnet, vt Deus obligetur sibi, tamen repugnat vt obligetur alteri; ergo &c.

6. Sextò vt Deus exerceat erga hominem iustitiam strictam, debet se conformare iuri hominis, quod ita sit ius hominis, vt simul non sit ius Dei; sed hoc repugnat, cum Deus sit essentialiter dominus omnium rerum, & omnium iurum creatorum; ergo.

7. Septimò vt Deus obligaretur creaturæ ex iustitia, creatura deberet habere ius aduersus Deum; sed hoc repugnat; ergo.

8. Octauò ius strictum aduersus alterum est quædam non plena subiectio voluntati illius, & est quædam vis dominatiua, directiua, & coercitiua voluntatis illius, aduersus quem habemus ius; est potestas restringendi libertatem alterius in fauorem illius, qui habet ius; sed repugnat, vt creatura non sit plenè subiecta voluntati Dei &c. ergo.

9. Nonò repugnat, vt Deus obligetur creaturæ obligatione obedientiæ, & vt creatura habeat ius iurisdictionis in Deum; ergo à fortiori repugnat, vt Deus obligetur creaturæ obligatione iustitiæ, & vt creatura habeat ius proprietatis in Deum.

10. Respondeo constare ex Scripturis Deum multa hominibus promississe, ac cum illis pactum, & fœdus inisse, ac Christum Dominum iamiam moriturum per testamentum nouum suam vltimam voluntatem declarasse, ac de sua hæreditate, suisque bonis sub certis conditionibus disposuisse, & testamentum morte confirmasse, vt esset irreuocabile. Deum multa hominibus promississe constat. Numer. 10. Dominus bona promissit Israel 1. ad Timoth. 4. Promissionem habens vite, qua nunc est, pariter & futura: Act. 1. Sed expectarent promissionem Patris: Rom. 1. Quod ante promiserat per Prophetas suos: Heb. 6. Abrahæ namque promittens Deus: 1. Io. 1. Hæc est repromissio, qua Deus promissit vobis vitam æternam. Deum pactum cum hominibus fecisse legimus Exodi 6. & 19. & 31. Deuteronom. 4. Isai. etiam 55. dicitur: Feriam vobiscum pactum sempiternum: Psalm. 77. Auertent se, & non seruauerunt pactum. Ecce dicitur inter Deum, & homines initi mentio fit Gen. 6. Exod. 2. 23. & 24. & frequenter in libris Numer. & Deuteronomij: ac Ierem. 49. Christo Domino dicit Pater: Dedit te in fœdus populi, & cap. 54. Fœdus pacis meæ non mouebitur, & cap. 6. Fœdus perpetuum feriam eis. Denique Christum Dominum moriturum, fecisse testamentum nouum, idque morte

confirmasse, constat ex Paulo ad Heb. 9, ubi dicit: *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.*

11. Si quaeratur, quo pacto differant promissio, pactum, foedus, ac testamentum, dicendum, quod promissio importat obligationem solum ex parte promittentis; pactum autem importat obligationem mutua; ideoque Lege Pactum, ff. de Pollicitationibus Vlpianus dicit: *Pactum est duorum consensus, atque conventio; Pollicitatio vero offerentis solius promissio.* Foedus est pactum, quo depositis inimicijs, firmatur pax inter dimicantes, ideoque omnia foedera à Deo cum hominibus inita in veteri testamento significabant pacem, & amicitiam à Deo sociali foedere iungendam cum hominibus antea inimicis. Testamentum proprie dictum est, quo quis disponit de sua hereditate, & bonis, dispositione per mortem testatoris confirmanda.

12. Quæri potest primò, vtrum promissiones, pacta, foedera, & testamenta Dei cum hominibus intelligenda sint proprie, vel metaphorice?

13. Respondeo, quod Deus propriissime promittit, ac fecit pactum, & foedus cum hominibus. Ratio est, quia tam multæ Scripturarum locutiones, quibus horum mentio fit, non debent ad sensus improprios, & metaphoricos detorqueri. Confirmatur; nam Scriptura narrat Dei promissiones, & pacta ad confirmandam nostram spem iuxta illud Apostoli ad Heb. 6. *Vt firmissimum solatium habeamus, & ad Heb. 10. Teneamus spei confessionem indubitabilem. Fidelis est enim, qui repromisit;* & ad Rom. 4. *Secundum gratiam firma sit promissio;* sed ut spes magis roboretur, promissiones, & pacta Dei debent intelligi proprie; ergo &c. Testamentum etiam novum respectu Christi fuit propriissime testamentum, & confirmatum est morte testatoris. Testamentum vetus fuit testamentum minus proprie, & figurativum. Fuit tamen verum pactum, & testamentum sæpè in Scriptura sumitur pro pacto, iuxta illud Hieronymi in cap. 32. Ieremiæ in illa verba *Ecce dies veniunt; Quod pactum pro testamento ponimus Hebraice veritatis est, licet testamentum rectè pactum appelletur, quia voluntas in eo, atque testatio eorum, qui pactum ineunt, continentur.*

14. Quæri potest secundo, quare cum modus operandi per promissiones, pacta, foedera, testamenta, sit humanus, Deus voluerit se accommodare huic modo operandi humano.

15. Respondeo, quod quia Deus voluit fieri homo, ideo sæpè ab initio mundi apparuit ut homo, & cum hominibus egit modo humano. Videri potest Chrysostomus Homil. 36. in Genesim super illa verba cap. 15. *Secundum quid cognoscam, quod in hereditatem accipiam eam?*

16. His positis, duplex quaestio est examinanda. Prima est, vtrum Deus per promissiones, & pacta possit se obligare, ac de facto obligaverit hominibus debito fidelitatis. Secunda est, vtrum possit se obligare, ac de facto se obligaverit debito iustitiæ strictæ.

17. Tres sunt præcipuæ sententiæ. Prima negat Deum posse per promissiones, & pacta se obligare vlla obligatione etiam fidelitatis. Hanc sententiam videtur sequi Ruiz de Voluntate Dei, disp. 56. sect. 2. & 3, in quibus docet, quod licet res à Deo promissæ sint nobis debita, & obligata, tamen Deus ipse non constituitur debitor, neque obligatus. Alij tamen dicunt nec ipsas res promissas à Deo esse nobis debitas, & obligatas, sed solum esse congruum, ut nobis dentur.

18. Secunda sententia docet Deum per promissiones, & pacta posse se creaturis obligare, ac de facto obligare debito fidelitatis, non autem debito iustitiæ strictæ. Hanc sententiam inter alios sequitur Vasquez 1. parte disput. 85. & 86. & 1. 2. disputatione 313. & 3. parte disputatione 7. 8. & 9.

19. Tertia sententia docet Deum per promissiones, & pacta posse se obligare, ac de facto obligasse non solum debito fidelitatis, sed etiam debito iustitiæ strictæ. Hanc sententiam docet Suarius in opusculis de libertate, disput. 2. sect. 2. & disp. de Iustitia Dei, & Tom. 3. de Grat. lib. 12 cap. 30. & 3. parte Tom. 1. disputatione 4. sect. 5. & 6. quem alij plures sequuntur.

20. Dicendum primò: Deus potest per promissiones, & pacta se obligare creaturis obligatione fidelitatis, & de facto se obligavit.

21. Probatur primò ex Scriptura, & Patribus. Ad Rom. 4. *Et autem, qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum;* quæ verba exponens Chrysostomus dicit: *Nunquam imputaretur, nisi & ipse homo aliquid attulisset. Itaque etiam hic debitorem sibi Deum habet, non vilium rerum, sed magnarum, sublimiumque;* & S. Thomas in commentario eiusdem loci Lect. 1. dicit: *Ei, qui operatur, scilicet opera iustitiæ, merces aeterna retributionis, de qua dicitur Isaia 4. Ecce merces eius cum eo, non reputatur secundum gratiam tantum, sed secundum debitum, secundum illud Matth. 20. nonne ex denario convenisti mecum?* Augustinus in Psalm. 83. circa finem dicit: *Debitorem dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promissisti.* Et Serm. 16. de Verbis Apostoli; *Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo;* & paulo post possumus exigere dominum nostrum; *redde quod promissisti, quia fecimus quod insisti, & hoc tu fecisti, quia laborantes inivisti.* Fulgentius in Prefat. lib. ad Monimum; *Ille auctor est debiti, qui auctor est doni. Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.* Bernardus lib. 1. de libero arbitrio propè finem: *Promissum quidem ex misericordia, sed iam ex iustitia persolvendum;* & paulo post: *Iustum quippe est,*

ut reddat quod debet; debet autem quod pollicitus est.

22. Probatur secundò conclusio ratione. Obligatio enim fidelitatis consistit in hoc, vt qui promissit, non possit non implere promissam, quin sit infidelis, & operetur contra dictamen rectæ rationis; sed posito, quod Deus aliquod promiserit, non potest non implere promissam, quin sit infidelis, & operetur contra dictamen diuinum, quo videt implendum esse, quod promissit; ergo. Ideo Apostolus 2. ad Timoth. 1. dicit: *Ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest.* Ad quæ verba alludens Dionysius cap. 8. de diuinis Nominibus dicit: *Negatio sui est à veritate prolapsio. Veritas autem est, & à veritate prolapsio est ab eo, quod est, prolapsio. Si ergo veritas est; negatio autem veritatis prolapsio ab eo, quod est, Deus ab eo, quod est, prolapsio non potest.*

23. Dices: quare non dicimus cum Ruiz de Voluntate Dei, disput. 56. sect. 2. & 3. res quidem promissas, puta æternam beatitudinẽ &c. obligari, & deberi nobis, Deum autem non obligari nobis, nec fieri debitorem.

24. Respondeo, quod hoc non dicimus primò, quia Patres citati dicunt Deum promittendo se facere nobis debitorem. Secundò, quia est impossibile, vt res promissa, puta vita æterna sit nobis debita ex promissione, & quod Deus non debeat illam nobis dare, ac sic sit debitor. Demum quod aliquis debeat ex fidelitate obseruare promissam, nihil aliud est, quam quod non possit non obseruare, quin sit infidelis, & operetur contra dictamen fidelitatis, quod dictat promissionem seruandam; ergo.

25. Dicendum secundò: Deus per promissiones, & pacta potest se obligare creaturis, ac de facto obligauit obligatione non solum fidelitatis, sed iustitiæ strictæ.

26. Probatur primò auctoritate Scripturarum, & Patrum. Nam ei, qui operatur, merces promissa debetur non solum ex fidelitate, sed etiam ex iustitia, cum debeat ex contractu oneroso: sed ad Rom. 4. dicitur: *Ei, qui operatur, merces debetur non secundum gratiam, sed secundum debitum;* ergo Matth. autẽ 20. dicitur: *Quod iustum fuerit dabo vobis: redde illis mercedem: nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade:* sed quod datur operario vt pretium operis, & vt merces laboris, & vt debitum ex pacto, & conuentione, datur vt debitum debito iustitiæ; ergo. Confirmatur: nam quod Deus debet non solum, quia est fidelis, sed etiam quia est iustus, & ita, vt si negaret, esset iniustus, debet non solum debito fidelitatis, sed etiam iustitiæ; sed Deus promissam debet non solum, quia est fidelis, sed etiam quia est iustus, & ita vt si negaret, esset iniustus; ergo. Probatur minor: Io. 4. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis, & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra &c.* Ad Heb. 6. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & laboris:* Augustinus lib. de Natura, & gratia,

cap. 72. *Non enim iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitia: lib. 4. contra Iulianum cap. 3. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittatur iustus.* Bernardus etiã lib. 1. de libero arbitrio propè finem dicit: *Promissum quidem ex misericordia, sed iam ex iustitia persoluendum.*

27. Probatur secundò ratione, & ne fiat quæstio de nomine, præmitto explicationem nominum. Nominem obligationis ex iustitia stricta intelligo obligationem, qua aliquis obligatur alteri ad dandum illi ius suum, hoc est id, quod illi debetur titulo suitatis. Nominem iuris actiui stricti intelligo potestatem exigendi aliquid ab altero, vt debitum titulo suitatis. Nominem iustitiæ strictæ intelligo virtutem dandi alteri ius suum, hoc est id, quod illi debetur titulo suitatis. Dum igitur dicimus Deum obligari iustitia stricta, nomine iustitiæ strictæ intelligimus virtutem dandi alteri ius suum, hoc est id, quod illi debetur titulo suitatis, seu talis virtus amet vt obiectum formale hanc honestatem creatam dandi vnique ius suum, seu amet vt obiectum formale solam bonitatem diuinam continentem adæquatè hanc honestatem creatam, iuxta dicta q. 63. n. 4. & 7.

28. His positis, probatur conclusio. Ex Aristotele enim 8. Ethicorum cap. 11. inter eos, inter quos potest dari amicitia, potest etiam dari iustitia; sed inter Deum, & creaturas intellectuales potest supernaturaliter dari, ac de facto datur amicitia propria, & stricta, vt cum communi opinione Theologorum ostendimus in quæstione 62. ergo &c. Probatur maior, afferendo verba Aristotelis. *In vnaquaque autem politia catenus amicitia apparet, quatenus, & ius; & paulo post. In prauis autem politis sicut iuris, ita amicitia parum admodum est, & minimum omnium in pessima. In Tyrannide siquidem amicitia reperitur aut nihil, aut parum, Addit deindè: Sed erga inanimata neque amicitia vlla est, neque ius, neque erga equum, aut bouem, neque erga seruum quatenus seruus: nihil enim habent commune. Concludit: Quocirca in eo, quod est seruus, erga ipsum amicitia non est: in eo, quod homo, est: quippe cum vnique homini ius quoddam esse videatur erga vnumcunq; qui cum ipso legis, ac seruis esse particeps poterit: & amicitia igitur erit quatenus homo est; ergo Aristoteles expressè docet inter eos, inter quos dari potest amicitia, dari posse etiam ius, & iustitiam.*

29. Confirmatur: nam si inter Deum, & creaturam non posset dari iustitia propria, nec posset dari amicitia propria, quod est falsum. Probatur sequela: nam idè inter Deum, & creaturam non posset dari iustitia propria, quia inter dominum, & seruum non potest dari iustitia propria, vt docet Aristoteles loco citato, ac proindè cum creatura secundum omnem rationem sit essentialiter serua Dei, Deus non potest exercere iustitiam propriam, erga creaturam; sed hæc ratio probat etiam inter Deum, & creaturam non posse dari amicitiam

tiam propriam; nam inter dominum, & seruum quatenus seruum non potest dari amicitia propria, vt docet Aristoteles eodem loco; ergo &c.

30. Probatur secundò conclusio, & simul soluitur, ac retorquetur fundamentum contrariæ sententiæ. Nam tunc inter dominum, & seruum non potest dari propria amicitia, & iustitia, cum seruus ita habet pro fine *cui* dominum, & est gratia domini, vt simul in alio genere non habeat pro fine *cui* se ipsum, & non sit gratia sui. Cum autem seruus ita habet pro fine *cui* dominum, vt in alio genere habeat etiam pro fine *cui* seipsum, & sit gratia sui ipsius, inter dominum, & seruum potest dari amicitia, & iustitia; sed creatura intellectualis ita est serua Dei, vt Deum habeat pro fine *cui* excellentiæ, hoc est perceptiuo solius boni extrinseci, honoris nimirum, & gloriæ; seipsum autem habeat pro fine *cui* vtilitatis perceptiuo nimirum commodi, & felicitatis intrinsecæ; ergo &c.

31. Confirmatur, & explicatur argumentum. Amicitia enim ex Aristotele 8. Ethico. cap. 2. definitur *mutua benevolentia non latens, per quam am aliqui bene sibi volunt ad inuicem gratia ipsorum*; sed cum seruus ita est gratia domini, vt in nullo genere sit gratia sui ipsius, potest solum amari gratia domini, non autem gratia sui ipsius: cum autem seruus ita in vno genere est gratia domini, vt in alio genere sit gratia sui ipsius, potest ita amari gratia domini, vt ametur etiam gratia sui ipsius; ergo seruus in primo casu non potest à domino amari amore amicitiae, in secundo potest. Proportionaliter iustitia est virtus tribuendi alteri ius suum, hoc est id, quod illi debetur titulo suitatis; sed cum seruus ita est gratia domini, vt in nullo genere sit gratia sui, ita est domini, vt in nullo genere sit suus; ergo nihil illi debetur à domino titulo suitatis, ac proinde nihil illi debetur ex iustitia. E conuerso cum seruus ita in vno genere est domini, vt in alio genere sit gratia sui ipsius, & sit suus, potest illi à domino aliquid deberi vt suum, & titulo suitatis, ac proinde ex iustitia.

32. Probatur quartò conclusio. Vt enim dicitur in Tractatu de Iustitia, & Iure, iustitia est *constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi*, hoc est iustitia est *virtus tribuendi alteri id, quod illi debetur titulo suitatis*; sed eo ipso, quod creatura ita est serua Dei, vt sit etiam gratia sui, Deus potest se obligare ad tribuendum creaturæ id, quod illi debetur titulo suitatis; ergo &c. Probatur minor: nam eo ipso, quod creatura intellectualis in aliquo genere est gratia sui ipsius, potest Deus ex pacto inito in fauorem creaturæ intellectualis se obligare ad dandum illi æquale pro meritis, & labore; sed obligatio, qua quis in fauorem alterius se obligat ad dandum ipsi æquale pro meritis, & labore, est obligatio, qua se obligat ad dandum illi quod debetur titulo suitatis; ergo &c. Confirmatur prius; nam Deus de fa-

cto in Testamento veteri per Moysen fecit cum Israelitis pactum, quo in fauorem ipsorum se obligauit ad dandam illis terram promissionis, & plurima bona temporalia, si obseruarent legem veterem. In Testamento autem nouo per Christum fecit cum omnibus hominibus in eorum fauorem pactum dandi illis bona spiritualia, & æternam beatitudinem æqualem meritis, si obseruarent legem Christi. Voluit autem hæc pacta fieri per Moysen, & Christum ritu solemnissimo, ac pactum vetus voluit confirmari sanguine hircorum, & vitulorum, pactum nouum voluit confirmari sanguine Christi, qui idcirco dicitur sanguis noui, & æterni testamenti. Pactum enim per modum testamenti ita confirmatur sanguine, & morte testatoris, vt reddatur omnino irreuocabile; ergo Deus de facto per hæc duo pacta se obligauit hominibus ex iustitia.

33. Hinc sequitur Deum de facto non solum se obligasse hominibus ex iustitia, sed etiam se illis obligasse ex iustitia commutatiua. Obligatio enim, qua aliquis in fauorem alterius se obligat ad dandum illi arithmetice æquale pro meritis, & labore, est obligatio iustitiæ commutatiuæ, vt ex Aristotele, & S. Thoma 2.2. quæst. 61. art. 1. dicitur in Tractatu de Iustitia, & iure; sed Deus per nouum pactum, & Testamentum se obligauit ad dandum hominibus arithmetice æquale in sensu eo loco explicato pro meritis, & labore; ergo se obligauit ex iustitia commutatiua, ideoque beatitudo æterna ab Apostolo 2. ad Timotheum 4. vocatur corona iustitiæ per illa verba: *in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Confirmatur: nam obligatio, qua per pactum, & contractum onerosum duo in mutuum fauorem se mutuo obligant ad aliquid dandum, vel faciendum, est ex iustitia commutatiua: e. g. obligatio, qua dominus vineæ in fauorem operarij obligat se ad dandum operario pretium æquale operi, ac labori, quo vineam excoluerit, operarij autem in fauorem domini obligat se ad laborandum in vinea, est ex iustitia commutatiua; sed in Testamento, seu pacto veteri, Deus in fauorem Israelitarum se obligauit ad dandam illis terram promissionis, & multa bona temporalia, si obseruarent legem, & vt legem obseruarent; Israelitæ in fauorem, & honorem Dei se obligarunt expressè ad obseruandam legem, vt acciperent terram promissionis, & alia bona promissa; ergo Deus, & Israelitæ mutuo se obligarunt ex iustitia commutatiua. Proportionaliter in nouo Testamento adulti, dum sponte baptizantur, obligant se in fauorem, & honorem Dei ad obseruandam legem Christi, vt obtineant bona spiritualia promissa; Deus autem in fauorem hominum obligat se ad danda illis bona spiritualia, & æternam beatitudinem, vt ab ipsis obtineat obseruantiam legis Christianæ; ergo &c.

34. Dices: ad obligationem ex iustitia stricta requiritur, vt non supponat, neque inuoluat gratiam; sed obligatio, qua Deus se obligat ex promissione, vel pacto, supponit, & inuoluit promissionem, & pactum gratuitum: est enim magna gratia, quod Deus voluerit promissione, & pacto se obligare ad dandam nobis vitam æternam, si serauerimus mandata &c. ergo obligatio ista non est ex iustitia stricta.

35. Respondeo, negando maiorem. Potest enim obligatio strictissimæ iustitiæ supponere, vel includere gratiam; e.g. potest aliquis gratis se obligare ex iustitia ad seruendum alteri. In hoc casu ex iustitia obligatur ad seruendum illi, & tamen gratis se obligauit, adeoque obligatio ex iustitia supponit gratiam. Proportionaliter licet Deus ex gratia promittat vitam æternam seruantibus mandata, tamen posita promissione, & pacto gratuito, Deus ex iustitia obligatur ad dandam vitam æternam seruantibus mandata, iuxta illud Bernardi lib. 1. de libero arbitrio propè finem: *Promissum quidem ex misericordia, sed iam ex iustitia persolendum.*

36. Dices: saltem quod debetur ex iustitia stricta, non potest esse gratia, seu donum gratuitum; sed vita æterna est gratia iuxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna;* ergo.

37. Respondeo, distinguo maiorem: quod debetur ex iustitia stricta non potest esse gratia debita pro gratia, nego; non potest esse gratia omnino indebita, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Duplex est gratia, altera omnino indebita, altera debita ex suppositione alterius gratiæ. Gratia omnino indebita non potest esse debita ex iustitia, vt patet: at gratia debita ratione alterius gratiæ potest esse debita etiam ex iustitia, si Deus sua promissione, & pacto se obligauerit ad illam dandam pro altera gratia. Ideo Apostolus sicut vitam æternam vocat gratiam dicens ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* sic vocat etiam coronam iustitiæ, dicens 2. ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam dabit mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

38. Ad 1. distinguo maiorem: omnis obligatio moralis supponit, vel includit potentiam physicam non faciendi in sensu composito cum obligatione id, ad quod faciendum datur obligatio moralis, nego; in sensu diuiso, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad obligationem moralem sufficit, vt quis in sensu diuiso ab obligatione possit physicè facere oppositum: at non requiritur, vt in sensu composito cum obligatione possit facere oppositum; sed Deus in sensu diuiso à promissione posset facere oppositum eius, quod promittit; ergo Deus potest sua promissione se obligare moraliter ad aliquid; & in Deo vt potè impæccabili obligatio moralis semper coniungitur cum necessita-

te physica faciendi id, ad quod Deus se moraliter obligat.

39. Dices; ergo Deus non liberè obseruat promissa.

40. Respondeo, distinguo consequens; ergo Deus non liberè obseruat promissa libertate coniungendi non impletionem promissum cum promissione, concedo; libertate non promittendi, & sic non faciendi rem promissam, nego. Deus proculdubio non est liber ad coniungendam non impletionem rei promissæ cum promissione; alioquin posset esse infidelis. At est liber ad non promittendum, & sic ad non faciendam rem promissam, & eadem voluntate liberrimæ, qua promittit, liberrimè vult facere rem promissam, & obseruare promissionem, ideoque liberè obseruat promissa.

41. Ad 2. distinguo antecedens: Patres negant Deo omnem obligationem, & omne debitum absolutum, & antecedens pactum, & promissionem diuinam, concedo; conditionatum, & consequens promissionem diuinam, vel aliquam operationem Deo liberam, nego; & nego consequentiam. Patres dum videntur negare Deo omne debitum, negant solum debitum antecedens promissionem, & pactum, debitum autem consequens concedunt, vt patet ex testimonijs allatis num. 26.

42. Ad 3. concedo maiorem, & distinguo minorem: Deo repugnat restrictio libertatis consequens determinationem liberam Dei, nego; antecedens determinationem liberam Dei, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Liberum arbitrium etiam diuinum, eo ipso quod est potentia se determinandi ad vnâ partem contradictionis, est potentia restringendi suam libertatem ad vnâ partem contradictionis, & eo ipso, quod se determinat, suam libertatem restringit; ergo non est absurdum, quod Deus cum liberè promittit aliquid, suam libertatem restringat ad faciendum id, quod promittit.

43. Ad 4. nego maiorem: ad probationem, distinguo maiorem: perfectum dominium est potestas disponendi de re ad omnem vsum consequenter ad voluntatem disponendi solum ad aliquem determinatum vsum, & non ad alium, nego; antecedenter ad talem voluntatem, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad perfectum dominium requiritur, vt quis antecedenter ad voluntatem disponendi de re ad aliquem vsum, & non ad alium, possit de re disponere ad omnem vsum; sed non requiritur, vt consequenter ad voluntatem disponendi de re solum ad aliquem vsum, & non ad alium, intelligatur potens disponere de re ad omnem vsum; hæc enim potentia est chimerica. Deus dum promissione, vel pacto se obligat ad aliquid faciendum, iam vult disponere de re ad vsum promissum, & non ad alios vsus oppositos; ergo non minuitur perfectio dominij per

per hoc, quod consequenter ad talem voluntatem, ac dispositionem, non possit de re disponere ad vsus oppositos promissioni.

44. Dices: saltem ad perfectum dominium requiritur, vt quis possit de re sua disponere ad omnem vsum, altero inuito; sed Deus non posset disponere ad omnem vsum, inuita illa creatura, cui obligaretur ex iustitia; ergo.

45. Respondeo, negando maiorem. Deus enim de facto non potest de creaturis liberis disponere ad faciendos actus liberos, ipsis inuitis; siquidem repugnat, vt actus liberi fiant, inuito eo, cuius sunt actus liberi, & tamen Deus est perfectus dominus creaturæ liberæ etiam in ordine ad actus liberos, quia potest facere, vt creaturæ non sint inuitæ in ordine ad quoslibet actus liberos, sed vt illos voluntariè faciant; sed si Deus obligaretur ad disponendum de re aliqua iuxta voluntatem creaturæ, posset facere, vt illa non esset inuita ad quemlibet vsum, sed illi voluntariè consentiret; ergo.

46. Ad 5. nego minorem. Iam enim dictum est non solum non repugnare, vt Deus obligetur sibi ipsi obligatione fidelitatis, sed etiam non repugnare, vt obligetur alteri in fauorem illius obligatione iustitiæ.

47. Ad 6. nego maiorem. Sicut enim vt Deus exerceat cum homine amicitiam, sufficit, vt operetur gratia hominis, & in fauorem ipsius hominis, licet simul operetur gratia ipsius Dei, & in fauorem Dei; sic vt Deus exerceat iustitiam erga homines, sufficit, vt se conformet iuri, quod sit ius hominis, & in fauorem intrinsecum ipsius hominis, licet simul sit ius Dei, & in fauorem extrinsecum Dei.

48. Dices: ex Aristotele 5. Ethicorum cap. 6. nullius erga sua simpliciter iustitia, aut iniustitia est, ac proinde nemo potest exercere iustitiam, vel iniustitiam simpliciter erga sua; ergo &c.

49. Respondeo distinguo antecedens: nemo potest exercere iustitiam, vel iniustitiam erga sua simpliciter, quæ simul in alio genere sint simpliciter alterius, nego: quæ in alio genere non sint etiam alterius, concedo. Sicut Deus potest exercere amicitiam, operando gratia sui, si simul etiam operetur gratia creaturæ rationalis, sic potest exercere iustitiam per hoc, quod vtatur re, quæ ita sit sua ipsius Dei, vt in alio genere sit etiam alterius, hoc est creaturæ rationalis.

50. Ad 7. distinguo maiorem: creaturæ deberet habere ius aduersus Deum, quo nimirum Deus grauaretur, nego; quo Deus ita obligaretur in fauorem creaturæ, ac titulo suitatis, vt simul obligaretur in fauorem ipsius Dei, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Repugnat, vt creatura habeat ius aduersus Deum, quo ni-

mimum Deus grauetur: at non repugnat, quod creatura habeat ius aduersus Deum, quo Deus obligetur obligatione restringente libertatem Dei in fauorem Dei simul, & creaturæ. Confirmatur: nam aduersarij concedunt, Deum pacto, ac promissione posse suam libertatem restringere obligatione fidelitatis; ergo potest etiam restringere obligatione iustitiæ.

51. Ad 8. distinguo maiorem: ius strictum aduersus alterum non subordinatum altiori iuri illius, est quædam non plena, & non totalis subiectio, concedo: subordinatum altiori iuri illius, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Duplex est ius, & dominium, alterum vtilitatis, alterum excellentiæ. Ius, & dominium vtilitatis est potestas disponendi de aliquo in ordine ad suam perfectionem intrinsecam, saltem in ordine ad intrinsecum gaudium de tali dispositione. Ius, & dominium excellentiæ est potestas disponendi de aliquo in ordine ad suum bonum purè extrinsecum, hoc est in ordine ad suum honorem, & gloriam. Deus est prorsus incapax ex dispositione creaturarum percipiendi vllum bonum, & vllum gaudium intrinsecum, cum per se ipsum sit omne suum bonum intrinsecum, & omne suum gaudium, & solum est capax ex dispositione creaturarum percipiendi bona extrinseca honoris, & gloriæ, ideoque Deus est capax solius dominij, ac iuris excellentiæ, & est prorsus incapax dominij, ac iuris vtilitatis. Hinc sequitur, quod creatura potest habere plenum, ac perfectum dominium, & ius vtilitatis, subordinatum tamen perfectissimo dominio diuino excellentiæ. Hoc dominium coniungitur cum plena, & totali subiectione creaturæ erga Deum: siquidem creatura subijcitur Deo sola subiectione excellentiæ, per quam refertur ad bonum extrinsecum Dei honoris, & gloriæ; non subijcitur subiectione vtilitatis, per quam refertur ad bonum intrinsecum Dei; ergo creatura potest habere plenum, & perfectum dominium, & ius vtilitatis coniunctum cum plena, & totali subiectione erga Deum. Proportionaliter dico, quod ius subiectum altiori iuri diuino non est dominium in Deum, neque est vis directiua Dei. Licet autem omne dominium sit ius, non omne ius est dominium; siquidem dominium est species iuris.

52. Confirmatur solutio: nam simili argumento probari posset repugnare amicitiam propriam creaturæ cum Deo. Amicitia enim propria, & stricta est quædam non plena seruitus; plenè enim seruus non amatur gratia sui, sed gratia solius domini: amicus autem amatur gratia sui. Argumentum soluitur simili distinctione, quod amicitia, qua aliquis amatur vt finis *cui* non subordinatus amanti tanquam fini altiori, opponitur perfectæ seruituti: at amicitia, qua aliquis amatur vt finis *cui* subordinatus amanti, tanquam fini altiori,

non

non opponitur perfectæ seruituti.

53. Dices: ius proprietatis definitur *potestas restringendi libertatem alterius in fauorem illius, qui habet ius*; sed repugnat, vt creatura habeat ius restringendi libertatem Dei; ergo.

54. Respondeo, distinguo maiorem: ius supponens libertatem alterius iam liberè determinatam ad facienda omnia, quæ videt exacturum eum, qui habet ius, est potestas restringendi libertatem alterius, nego: ius non supponens voluntatem alterius sic determinatam, concedo maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Deus dum promissione, vel pacto se obligat creaturæ ad aliquid, cum iam videat per scientiam mediam, quid creatura sit exactura, si sic se obligauerit, vult determinatè facere illa omnia, quæ videt creaturam exacturam, adeoque liberè suam libertatem determinat, & restringit ad singula illa facienda; ergo creatura, quæ acquirit ius, non potest libertatem diuinam, quam supponit liberè determinatam, & restrictam à se, restringere, & determinare. At qui habet ius aduersus creaturam, cuius libertas supponitur indifferens ad facienda, vel non facienda quæ exegerit habens ius, potest voluntatem eius, aduersus quem habet ius, restringere, & determinare.

55. Ad 9. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia obligatio obedientiæ est obligatio operandi iuxta directionem alterius; Deus autem cum sit prima regula non potest obligari ad operandum iuxta directionem alterius. At obligatio iustitiæ est obligatio operandi in fauorem alterius: nõ repugnat autem, vt Deus supernaturaliter se obliget ad operandum in fauorem alterius, qui fauor ordinatur vltimò ad honorem, & gloriam ipsius Dei.

QVÆSTIO LXV.

Vtrum Deus viuas vitam perfectissimam, & beatissimam?

S. Th. qu. 18. & 26.

1. Videtur Deus non viuere: nam viuere est mouere seipsum; sed Deus non mouet seipsum, cum sit omnino immobilis; ergo &c.

2. Respondeo Deum viuere vitam perfectissimam, & beatissimam, immo esse ipsam vitam perfectissimam, & beatissimam. Probatur: nam vita consistit in hoc, vt res propriè, vel analogicè moueat se ipsam, ita vt habeat à se suos actus, & operationes; sed Deus habet à se ipso adæquatè actus, & operationes intelligendi, & volendi; ergo &c. Rursus vita beata consistit in cognitione perfecta summi veri continentis omne verum, & in amore, & gaudio perfecto de summo bono continente omne bonum; sed Deus cognoscit

comprehensiuè seipsum, qui est verum continens omne verum, & amat, & gaudet de seipso, qui est bonum continens omne bonum; ergo &c. Quia verò Deus est ipsa cognitio, amor, & gaudium de se ipso, ideo non solum viuunt vitam perfectissimam, & beatissimam, sed est ipsa vita perfectissima, & beatissima.

3. Addo primò omnem vitam creatam, comparatam cum vita diuina esse vitam imperfectam. Ratio est, quia perfectio vitæ consistit in hoc, vt viuens habeat à se ipso suos actus, & suas operationes præsertim intelligendi, & volendi; sed solus Deus adæquatè habet à se ipso suos actus, & operationes; creaturæ verò licet habeant aliquo pacto à se ipsis suos actus, & operationes, tamen illas inadæquatè habent à se ipsis, & magis habent à Deo principio extrinseco, quam à se ipsis, & ab intrinseco; ergo creaturæ viuunt imperfectè, ac solus Deus viuunt perfectè. Videri possunt, quæ de hoc diximus in Philosophia lib. 5. cum S. Thoma art. 4. quæst. 18.

4. Addo secundò, quod omnia etiam quæ in se ipsis non viuunt, ac non sunt vita, in Deo sunt vita, iuxta illud Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Ratio est, quia omnia existunt in Deo vt cognita, & intellecta per ipsam diuinam intellectionem; sed diuina intellectio est vita; ergo omnia in quantum existunt in Deo, sunt vita.

5. Ad argumentum in contrarium distinguo antecedens; viuere est mouere se ipsum, propriè, vel analogicè, concedo; solum propriè, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Viuere est mouere se ipsum, vel propriè per hoc, quod aliquid sit principium actuum motus, siue operationis in se ipso, vel analogicè per hoc, quod aliquid sit ratio sui motus, & operationis; sed Deus licet non sit principium actuum suæ intellectionis, & volitionis, tamen est adæquata ratio suæ intellectionis, & volitionis; ergo perfectissime viuunt.

TRACTATVS VI.

De Prouidentia, Prædestinatione, & Reprobatione.



VIA Prouidentia, & Prædestinatione, ac Reprobatio includunt simul actus intellectus, & voluntatis, ideo S. Thomas postquam à quæst. 14. vsque ad 21. egit de Intellectu, & Voluntate Dei, quæstione 22. agit de Prouidentia Dei, quæstione 23. de Prædestinatione, & Reprobatione, quæstione 24. de Libro vitæ. Doctrinam harum quæstionum examinabimus quæstionibus, quarum tituli videri possunt in indice initio proposito.

D d

QVÆ-